



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De subiecto Baptismi. 6

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

rina, aliòque idiomate proferantur, nullatenus pertinet ad essentiam baptismi. Quia baptismi essentia tantum petit eius formam proferri sub illis vocibus, quæ eo idiomate, quo proferuntur sumptæ expressæ, & distinctè personas Trinitatis significant.

Illud est certum baptismum ministratum sub forma genitoris, geniti, & procedentis ab utroque esse ad minus dubium, ac proinde sub conditione repetendum. Sic Valq. Suar. Bonac. Laym. loca allegati.

17. Ex supradictis deciditur, quæ variatio formæ essentialis sit, & irritativa baptismi, quæ non? Equidem variatio formæ, ob quam non satis unitas, & Trinitas exprimitur essentialis est, & irritativa. Vnde si sub nominibus, & non sub nomine trium personarum baptismum conferas, inuallidè baptizas, quia non exprimis diuinam unitatem. Sic communiter doctores. Dubium est, si dicas. Ego te baptizo sub nomine Patris, & sub nomine Filij, & Spiritus sancti, an satis exprimas unitatem trium personarum? Negat Bonac. alii licet falsò relatis *disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 5.* quia tacitè indicat sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptismum conferri: illa enim repetitio nominis illius multiplicationem denotat. Sed contrarium verius censeo, quia illa repetitio non potius multiplicat, quam unitatem, & identitatem denotat. Sed æque est indifferens, sicuti cum repetis nomen Dei, cum singulas personas diuinas pronuncias, non obeinde deitatem multiplicas, Sic Egid. de Coninch. *q. 66. art. 6. de vnic. conclus. 5. n. 58.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. n. 5. q. 3.* Suar. *disp. 21. sect. 3. vers. sed quid.* At si loco nominis appones nomen virtutis, & autoritatis, baptizaresque in virtute Patris, & Filij, & Spiritus sancti, incertum est, an baptismus esset, quia nomen virtutis, autoritatis, & potentie non satis unitatem essentia significare videtur, latiusque patet vox illa *In nomine*, quam vox in virtute maiestate, & autoritate. Illud vero certum est baptismum ministratum sub ea forma, scilicet cum Patre, Filio, & Spiritu sancto inuallidum esse, quia sola Trinitas, non unitas exprimitur. Secus esset, si baptizares in vno Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vel in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vel per vnum Deum Patrem, & quia his vocibus & unitas & Trinitas diuina satis exprimitur, Valq. *disp. 143. cap. 5. circa finem.* Paul. Laym. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. q. 3.*

Deinde si Trinitas sanctissima personarum in forma baptismi non exprimitur vel non exprimitur distinctè, hoc est sub nominibus vulgaribus, & communibus Patris, Filij, & Spiritus, probabilius est baptismum non confici, vt dictum est. Quocirca si diceres: Ego te baptizo in nomine Trinitatis, vel in nomine Dei vnus, & trini nequaquam baptizares. Idem si diceres in nomine Patris, Filij, & Gratie, Spiritus sancti. Sicuti audiui quandam obstertricem sapiens infantes baptizasse: quia gratia Spiritus sancti unitatem non habet cum Patre, & Filio, neque cum ipso Spiritu sancto. Sed est res creata ab ipsis distincta.

Quando autem per transpositionem verba mutantur retento eodem sensu, vt contingit in hac oratione. *In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti ego te baptizo*, manifestum est accidentalem esse mutationem, neque obinde valorem baptismi impediri: quia est idem planè significatum, & modus significandi. Ad idem est, si diceres. *Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti, Patris & Filij.* Quia & Trinitatem, & unitatem vulgaribus vocibus exprimis. Sed huic dicto non acquiesco: potius crederem hanc mutationem substantialem esse, quia non significas Spiritum sanctum, qualis ipse est, sed qualis non est. Significas enim spiritum sanctum esse Patris, & Filij principium, cum tamen à Patre & Filio procedat. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. n. 6. vers. Porro in fine.* Denique ex dictis tract. præcedenti petendum est, quando aliæ mutationes ex interruptione, additione, vel mutilatione verborum irritum sacramentum reddant. Quia generalis doctrina huic sacramento specialiter applicanda est.

18. Hoc usque de nullitate baptismi ob variationem formæ locuti sumus, at si de licito vtu loquamur, certum est quamlibet variationem consuetudini, & vsui Ecclesiæ aduersam graue peccatum esse, & præcipue si inde oriatur dubium valoris sacramenti. Solum aduerto absque graui peccato, imò sæpè absque vilo administrari posse hoc sacramentum vulgari lingua: nam esto consuetudine introductum sit, vt omnia sacramenta lingua Latina administrantur, hoc tamen sacramentum, quia sæpè ob eius necessitatem à feminis rudibus, & inductis administratur, cessat obligatio illud lingua Latina administrandi, & vulgari lingua administrari poterit, & sic conuenientius est, vt periculum erroris abst. Sic Sotus in *4. dist. 1. q. 1. circa 4. conclus. vers. in mutatione.* Victoria de *facram. q. 18.* Bonac. alii relatis *disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 17.* Paul. Laymann *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. n. 6.*

1. Homo viator extra vterum matris existens est subiectum capax baptismi.
2. Non est secunda mater, vt infans baptizetur. Excipe nisi secundum leges morte esset digna, & crederetur sectio infanti profutura.
3. A puncto natiuitatis quilibet est capax baptismi.
4. Non excluditur monstrum, dummodo homo sit.
5. Filiis infidelium rationis vsam habentibus, si petant baptismum, concedi debet parentibus venientibus.
6. Si dubium sit de rationis vsu, baptismus differendus est.
7. Baptismus quacumque ratione conferatur, in validus est.
8. Infantes etiam per iniuriam baptizati segregandi sunt à parentibus infidelibus adueniente rationis vsu.
9. Filius hereticorum ministrandus est baptismus.
10. Proccidit conclusio, casu quo separari à parentibus possunt.
11. Consentiente quolibet ex parentibus infidelibus baptizari infans potest.
12. Proccidit ratio dubitandi, qualiter Filii infidelium reprobis parentibus baptizari possunt.
13. Tenet est communi sententia negans.
14. Excipi debet primo casus extrema necessitatis.
15. Secundo excipi debet perpetuò amens.
16. Neque est baptismus omittendus est, tamen si parens agere se velit. Non tamen est vis parenti inferenda.
17. Tenet excipitur Filius à parentibus segregatus.
18. Quod Filius seruus seu parentis seruus.
19. In his euenibus, quibus licet potes supradictis filiis ministrare baptismum, affirmat Valq. te obligatum esse.
20. Contrarium est probabilius non semper te esse obligatum.

Nemini est dubium subiecto baptismi solum esse hominem viatorem, quia pro solis illis sacramenta sunt instituta. Debet tamen extra vterum matris natum esse saltem secundum aliquam sui partem, vt baptismi capax existat, quia dum ibi est inclusus, abluo immediatè, & in seipso non potest, quod ad baptismum necessarium est, vt bene docet D. Thom. *serm. ab omnibus receptus q. 68. art. 1.* Quod si inde inferas Deum pro his infantibus nullum statuisse remedium facile respondeo, negando nullum statuisse, si quidem martyrio saluari possunt. Secundo admitto nullum remedium pro his secundum illum statum instituisse. Neque hoc est inconueniens, quia Deus obligatus non fuit, neque deuit singulis hominibus pro omni tempore, & conditione, qualibetque occasione, & circumstantia remedium salutis prouidere, & adiuuantes in peccato mortali existentes remedium habere debent.

Neque ob horum à regno cælesti exclusionem vitandam secunda est mater aliàs morte non digna, vt sic facta baptismus ministrari possit. Quia non sunt facienda mala, quale est homicidium, vt inde proli eueniant bona. Quod si mater ad mortem damnata sit, timeaturque si differatur supplicium vsque ad partum prolem in vtero morituram, poterit eo casu seruato iuris ordine mater fecari, quia nec matri irrogatur iniuria, cum non auctoritate priuata, sed publica occidatur, & proli summum concedatur beneficium. Sed sic casus est moraliter impossibilis, siquidem ex occisione matris malus periculum proli imminet, quam imminere potest ex partus expectatione. Adde vix cognosci posse hoc mortis infantis periculum, ob quas causas legibus statutum est executionem sententiæ mortis mulieris prægnantis differendam vsque ad partum. *leg. prægnantis. ff. de Penis, & pluribus exornat. Couarruu. 4. variat. cap. 4.* Matre vero occisa, vel mortua, si creditur infans viuere, aperienda est, & infanti, si viuus extiterit, baptismus ministrandus. Atque ita docent Suar. *3. p. q. 68. art. 11.* Egid. de Coninch. *ibi.* Bonac. *disp. 2. q. 2. punct. 6. à principio.* Paul. Laymann *lib. 5. tract. 2. cap. 3. q. 1.*

3. Præterea fide stabilitum est quolibet hominem, quomodocumque ex vtero matris procedat, statim capacem esse baptismi, quia capax est ablutionis sub præscripta forma verborum. Neque opus est expectare rationis vsam. Sic definit Trident. *sess. 7. can. 3.* colligiturque ex illo Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Quæ verba communia sunt infantibus, & adultis. *Item Actorum 16. n. 15.* dicitur Paulum Lydiam, & domum eius baptizasse. *1. Corinth. 1. n. 16.* baptizauit Stephanæ domum, seu familiam: in quibus verisimile est plures infantes fuisse, & consequenter baptizatos esse. Adde consuetudine Ecclesiæ id firmatum esse. Ratio ea est, quia Christus Dominus quantum est ex se vult omnes homines saluos fieri, illisque sua merita, & passionem applicari. At hæc voluntas comparatione infantum effectum obtinere non potest, nisi medio baptismo, siquidem voluntatem

tem propriam non habent. Credendum ergo est baptismum pro infantibus ante usum rationis institutum esse. Neque enim decebat diuinam bonitatem legique gratie benignitatem omnes infantes ante usum rationis a regno caelesti excludi, cum tempore legis naturae, & scriptae exclusi non fuerint, sed remedium peccati originalis habuerint. Quod si obicias, Christus Dominus praecipiens baptismum ministrare, praecipit Apostolis baptizandos instruere, dixit enim: Doceat omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed ante usum rationis nemo institutionis capax est. Ergo neque est capax baptismi suscipiendi? Facile responderetur Christum Dominum non praecipisse quoslibet baptizandos instruere, sed in instruere qui capaces instructionis existerent. Deinde praecipit instruere populum, & praedicare Euangelium ante vllam baptismi administrationem, Nam cum tunc omnes gentes essent gentiles, vel Iudaei, neque ipsi, neque eorum filij patribus renuentibus baptizari poterant, debebant parentes prius in fide instrui, vt sic instructi & ipsi sacramentum susciperent, & permitterent filiis ministrari. Sic omnes doctores Catholici apud Bellarmin. lib. de baptismo. cap. 8. Suar. disp. 25. sect. 1. Aegid. de Coninch. qu. 68. art. 9. Valqu. disput. 154. per totam. Valent. t. 4. disput. 4. q. 5. p. 1.

4. Neque ab hoc beneficio ita necessario excludendum est monstrum, si certo constet hominem esse, hoc est animam rationalem habere, sed absolute eo casu baptismus est ei ministrandus, quia verè homo est: si vero dubium sit, sine homo, sub conditione baptismi ministrandus est. Quod si certo constet hominem esse, dubium tamen, an sint duo, vel vnus tantum, eò quod sub duobus capitibus vnus pectus existat, in singulis capitibus est baptismus ministrandus primò absolute, secundò sub conditione. Vide Nauarr. lib. 3. cons. 5. alias 3. de baptismo. Paulum Commitol. lib. 1. respons. moral. q. 8. Filluc. tract. 2. c. 6. q. 10. n. 150. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 6. q. 6. Bonac. disput. 2. q. 2. punct. 6. num. 5. His positis.

5. Quaestio celebris est, qua ratione liceat filios infidelium etiam inuitis parentibus baptizare? In qua quaestione illud est certum, si filij infidelium usum rationis habeant baptismumque suscipere velint, posse, & debere illis ministrari etiam parentibus renuentibus. Quia in his, quae ad salutem animae pertinent, quilibet sui iuris est. Adde omnes adultos rationis capaces obligatos esse diuino praeepto baptismum suscipere, vitare medium ad salutem necessarium nequeunt ergo parentes impedire. D. Tho. q. 66. art. 10. Valqu. ibi disput. 155. c. 1. in prin. Coninch. art. 10. in prin. Paul. Laymann. lib. 5. tra. 2. c. 6. q. 5. vers. quarto. Bonac. pluribus relatis disput. 2. q. 2. p. 5. n. 12.

6. Quod si dubium sit, an rationis usum attingerint, credo probabilius differendum esse baptismum quousque cessat dubium, nisi periculum adit decedendi sine baptismo. Etenim hac dilatione vitatur tum periculum retrocedendi à fide, cum non sit satis voluntarie suscepta, tum iniuria parentum, quibus filij dum propria voluntate non habent, in suscipienda religione subduntur. Si tamen adest periculum mortis, baptismus conferendus est, quia ob conseruationem iuris paterni non est permitienda perpetua filiorum damnatio. Sic Valq. disput. 55. cap. 3. num. 36. Aegid. de Coninch. qu. 66. art. 10. n. 61.

7. Secundo est certum baptismum quacumque ratione collatum filijs infidelium ante usum rationis validum esse, & firmum. Quia ad baptismi valorem solum requiritur in parulis materia, forma, & debita intentio ministrati. Nam propria suscipientium voluntas non expostulatur, nam loco illius succedit voluntas Christi, & Ecclesiae, non parentum: si enim absque proprio, vel parentum consensu potuerunt ij paruuli peccato originali infici, eo solam adae voluntatem, quid mirum vt possint ab eo peccato mundari ob solam voluntatem Christi absque propria, vel parentum voluntate? Et ita tenendum est sic fuisse à Christo statutum, vti latius ex D. Thom. Antonin. Augustin. & alijs probat Valqu. disput. 155. cap. 6. Aegid. de Coninch. q. 66. a. 10. dub. vnic. n. 65. Suar. disput. 25. sect. 2. per totam. Bonac. disput. 2. q. 2. punct. 6. num. 11. contra Duran. Marfil. Paludan. relatos à Valq. & Suar. supra.

8. Tertio est certum infantes etiam per iniuriam baptizatos segregandos esse à parentibus adueniente vsu rationis, si periculum adit peruersionis, vt regulariter adest. Quia suscepto baptismo Ecclesiae subduntur, illiusque sunt membra, potest ergo Ecclesia, & debet eos à peruersione defendere, ergo potest, & debet eos à parentibus segregare, cum aliter à peruersionis periculo liberare non possit. Sic docuit Aegid. de Coninch. dicta q. 68. art. 10. dub. vnic. n. 83. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 6. q. 5. concl. 3. colligiturque aperte ex Concilio Tolet. 4. can. 55. & 58. & seqq.

9. Quarto certum est baptismum ritu Catholico ministrari posse, & debere filijs haereticorum fidem in baptismo suscipere deferentium, sicuti decidit in concil. Tolet. 4. c. 56. Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars. I. V.

relato in cap. de Iudaeis disp. 45. Quia haeretici praecipis subduntur. Vnum autem ex Ecclesiae praecipis est, vt filios ad Ecclesiam baptizandos deferant. Ergo si huic obligationi non satisfaciant, potest Ecclesia eos punire, & eorum negligentiam supplere, ac proinde potest eorum filios baptizare, & baptizatos ab eorum consortio separare, si periculum adit peruersionis, vt verè adest. Sic Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. c. 6. concl. 4. Aegid. de Coninch. q. 68. art. 10. num. 81. Valqu. disput. 155. c. 1. in prin.

10. Haec conclusio procedit casu, quo filij separari possint à parentum haereticorum consortio. Nam si necessario in potestate parentum relinquendi sunt, difficultate non caret, an possit extra extremam necessitatem eos baptizare ob mortale periculum in parentibus irridendi fidem à filiis suscipiendi, & ob periculum filiorum illam deserendi, cum ad rationis usum peruenerint. Ne quis ergo eo casu supradictos filios baptizare, ne sacramento suscepto irreuerentia fiat, neque baptizati damnum grauius suscipiant ex futura apostasia, quam vtilitatem susceperunt ex suscepto baptismo. Et ita sustinent Suar. disp. 15. sect. 5. circa medium. Aegid. de Coninch. quest. 68. art. 10. dub. vnic. num. 81. Contrarium nec improbabiler defendit Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 6. quest. 5. circa finem. Ea consideratione motus, quia supradictum periculum incertum est, cum saepe ij infantes ante usum rationis moriantur. Quod si viuant facilius in fide Catholica instruantur scientes baptizatos esse, quam si baptismum non recepissent, & esto praua doctrina imbuantur, pertinaces haeretici non existunt, sed ignorantia difficulter vincibili laborant, ac proinde, fidei donum retinent, & contritio de peccatis commissis saluari possunt. Idem quod dictum est de filiis infidelium baptizatorum dicendum est etiam si vnus tantum ex parentibus infidelibus baptizatus extiterit, quia eo ipso Ecclesiae praecipis subditur, & obligationem habet offerendi filium baptismum, & consequenter non impediendi, cum ab Ecclesia baptizatur. Bonac. disput. 2. q. 2. p. 6. n. 12. vers. tertio.

11. Quinto est certum consentiente quolibet ex parentibus infidelibus te posse eius filium baptizare. Quia in nutriendis filiis, secumque retinendis, & gubernandis maxime circa necessaria ad salutem aequale ius patri, ac matri competit, ac proinde consentiente matre, esto pater renuat, filius baptizari poterit; quia pia voluntas in proli fauorem impiaz praeferenda est: debet tamen abesse mortale periculum peruersionis, quod verosimile est abstruendum, si patens, qui baptismi causa fuit euerit segregare filium à consortio parentis reluctantis. Ad hanc enim separationem obligatur: sic docent ex communi sententia Paludan. in 4. disp. 4. quest. 4. in fine. Azor. t. 1. lib. 8. cap. 25. quest. 3. Suar. disput. 25. sect. 5. vers. duo. Valqu. disput. 155. cap. 3. num. 35. Aegid. de Coninch. qu. 68. art. 10. dub. vnic. num. 81. Saã verbo baptismus num. 11. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 6. quest. 5. vers. tertio. Bonac. disput. 2. q. 2. punct. 6. vers. tertio. Benac. disput. 2. q. 2. pun. 6. vers. respondeo 5. colligiturque aperte ex concilio Tolet. 4. c. 62. relato in cap. Iudaei. 28. quest. 1. & cap. ex litteris de conuers. infidel. Aduertendum tamen est huiusmodi consensum debere esse ob finem mundandi filium à peccato originali, quia hic consensus securum reddit sacramentum ab irreuerentia, & filiam ab apostasia: nam si patens consentiat filium baptizari, non quia credit baptismum ad salutem animae prodesse, sed quia existimat eo liberandum esse à corporis aegritudine, vel daemones vexatione, non videtur sufficiens, vt baptismus filio concedatur, si filius parentibus restituendus est, quia ex illo consensu non remouebitur periculum peruersionis, & irrisionis fidei, sicuti bene docet Filiucius. tract. 2. c. 6. q. 8. n. 145. Bonac. disput. 2. q. 3. pun. 6. n. 12. vers. tertio. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 6. q. 5. concl. 2. vers. quamobrem. His pro certo statutis.

12. Controuersia est, an licitum sit baptizare filios infidelium non baptizatorum vtroque parente renuentis, seu non consentiente. Ratio difficultatis est, quia parentibus nec iure naturali, nec diuino concessum est remouere filios à via salutis aeternae, sed potius tenentur diuino praeepto in viam salutis dirigere, & media necessaria eis concedere; ac proinde tenentur eos baptizandos offerre. Ergo eos baptizans nullam parentibus iniuriam irrogat, sed eorum officium supplet, & obligationi satisfacit. Et confirmo, si parentibus renuentibus iniuriam faceres eorum filios baptizans, haberent ipsius denegandi filijs baptismum. At hoc ius non habent, siquidem tenentur eis baptismum concedere. Ergo nullam iniuriam in eo baptismum conferendo irrogare potes. Ergo poteris eos baptizare, dummodo possis ab eorum consortio eos remouere. Sic Sotus in 4. disp. 4. q. 1. Gab. q. 2. art. 3. dub. 5. post medium.

13. Nihilominus communis sententia negat hos infidelium filios auctoritate priuata vel publica alicuius principis baptizari posse. Sic D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 12. & q. 68. art. 10. Suar. ibi disput. 25. sect. 3. conclus. 1. Valqu. disput. 155. cap. 2. à num. 10.

Ægid. de Coninch. q. 68. art. 10. dub. 1. concl. 2. n. 69. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. c. 6. g. 5. concl. 2. Bonac. disp. 2. q. 2. p. ant. 6. num. 12. & alij apud ipsos. Ratio est, quia nequis hos filios baptizare, nisi separando eos à consortio parentum infidelium, aliàs cederet baptismus in contumeliam creatoris; cum ob irrisionem fidei, quæ iuste timeri potest à parentibus faciendâ, tum ob periculum peruerſionis, quod ipsis baptizatis imminet ex parentum infidelium societate. At nemini data est potestas separandi hos filios à parentum tutela, cum ipsis parentibus iure naturæ concessa sit potestas eos alienandi, nutriendi, & regendi præcipuè dum propriam voluntatem non habent. Ergo licitum non est eos baptizare. Neque obstat ipsos parentes obligatos esse offerre filios baptizandos, ut inde inferas te posse eos baptizare ipsis parentibus reuentibus. Nam etiam ipsi parentes obligati sunt se baptizandos offerre, non tamen obinde eos cogere potes. Etenim obligatio, quam parentes habent offerendi filios baptismò ex iure diuino nascitur, constituit illius transgressorem reum religionis, & pietatis filiis debita, non iniustitia. Quod delictum solum Deum vindicem habet, nulliùque alius efficaciter corrigere potest. Adde non esse improbabile inquit Coninch. dub. unico num. 73. parentes infideles obligatos non esse baptizare filios antè vltimam rationis, vel necessitatem extremam, quia ex sola lege Ecclesiastica & consuetudine recepta, quibus non arctantur infideles videtur hæc obligatio nasci. Seclusa autem obligatione parentum certissimum est nulla auctoritate filium parentibus inuitis baptizari posse, Neque ab hac doctrina excipiendi sunt filij infidelium, qui Christiano principi ciuilitate sunt subiecti, quia hæc subiectio non tollit à parentibus ius gubernandi filios, & secum retinendis neque transferri in principem, sicuti bene tradiderunt Valq. Suar. Bonac. Laymann. & alij locis allegatis.

14. Attamen excipi debet primò casus extremæ necessitatis enim infans in periculo mortis sit constitutus baptizandus est etiam inuitis parentibus, ne perpetuo pereat: ob æternam enim salutem pueri temenda est leuis illa læsio iuris paterni, præcipuè cum ex illa nullum mortale periculum apostasiæ imminet. Sic Valent. 4. disp. 4. q. 3. p. 3. vers. 3. Coninch. q. 68. art. 10. dub. vn. n. 77. Valq. disp. 155. c. 3. n. 22. Bonac. disp. 2. q. 2. p. ant. 6. num. 12. vers. vtrum vero. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 6. g. 5. vers. dixi. Suar. disp. 25. sect. 3. Henriq. cap. 25. n. 2. & alij.

15. Secundo excipitur ferè ob eandem rationem perpetuò amens, hic enim inuitis parentibus infidelibus baptizari potest ob eius extremam necessitatem, aliàs remediò salutis esset omnino destitutus. Neque obstat parentes ius habere gubernandi filium amentem, eumque dicendi Deo, cum sibi placitum fuerit, quominus eum possis baptizare parentibus negligentibus inuitis; quia bonum, quod ex collato baptismò filio prouenit præferendum est leui læsioni iuris paterni cedentis in æternum filij inieritum. Sic Paul. Laymann. dicto lib. 5. tract. 2. cap. 6. vers. quinto.

16. Sed si quid timeas patrem ægrè laturum filium baptizari, & sacrilegiis, ritibus, & cæremoniis filium contaminarum, poterisne, in supradicta extrema necessitate illum baptizare? Respondeo posse, debes tamen, si commodè potes dicta sacrilegia parentis impedire subtrahendo filium ab eius consortio. At si nequis filium à parentis cura separare, non obinde omittes baptismum sed sacrilegium paternum permittes, quia ea permissio necessitate extrema baptismi honestatur, ut bene notauit Ægid. de Coninch. dicta qu. 68. art. 10. dub. unico num. 77. Nunquam tamen licet tibi maximè auctoritate priuata vrenti vim parenti inferre, ut eius filios baptizes, quia parens denegando baptismum peccat tantum contra legem diuinam supernaturalem, cuius delictum solum Deum vindicem habet, cum Ecclesiæ subditus non sit: filiis nullam iniuriam irrogat spectato iure naturæ, ob cuius causam defensionem locum habere possit. Nequis ergo parenti impediendi baptismum filiorum vim inferre, quia solum eam vim inferre posses vel in punitionem delicti commissi, vel innocentium filiorum defensionem. Atque ita sustinent Valq. disp. 155. cap. 3. num. 26. Ægid. de Coninch. q. 68. art. 10. dub. 2. c. n. 77.

17. Tercio excipitur filius segregatus à parentibus, cuius nulla spes subest in eorum consortio fore redditurum, quia eo casu nulla parentibus sit iniuria, cum ius quod habent gubernandi filium exercere non possint. Adde ea ratione filio in parentum potestate constituto denegatur baptismus, quia baptismò posito subtrahendus est à parentum consortio, ne parens baptismum irrideat, & ne filius in apostasiam prauis parentum consiliis incidat. At hæc ratio omnino cessat filio extra curam parentum existente, baptizari ergo potest. Neque consulendus est parens, esto id fieri possit, quia necessarius non est eius consensus. Sic latius probant Suar. disp. 25. sect. 4. vers. secundò est certum. Ægid. de Coninch. q. 68. art. 10. dub. vn. n. 77. Valq. disp. 155. cap. 3. n. 29. Azor. t. 1. lib. 8. cap. 25. qu. 4. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 6. quest. 5. vers. secundò.

18. Quardò excipitur filius seruus, seu parentis serui, quem ex consensu Domini baptizare poteris. Etenim cum dominus potestatem habeat donandi, vendendi, mittendi seruum quò voluerit, potestatem habet separandi eum à filio, qua separatione posita nihil impedit, quominus filius baptizari possit. Adde omnia iura serui domino subiecta esse ob dominium in personam, ergo ius quod habet seruus parens gubernandi filium, secumque retinendi domino eius subicitur, ac proinde poterit dominus filium sui mancipij gubernare, secumque retinere, & baptizandum offerre. Sic Suar. disp. 25. sect. 4. concl. 2. Ægid. de Coninch. q. 68. art. 10. dub. unico n. 86. Valq. disp. 155. cap. 4. per totum. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. c. 6. g. 5. vers. porro eadem assertio. Bonac. disp. 2. q. 2. p. 6. n. 12. in fine.

19. Sed dubium est, an tenearis inuitis parentibus filium baptizare, illis euentibus, quibus diximus licitè te facere posse? Affirmant, & late probat Valq. disput. 155. cap. 7. motus ea consideratione, quia charitate, quam in proximum habere debes, obligatus es bono illius consulere quoties commodè possis. Nullum autem est bonum proximo maxime ante vltimam rationis æque necessarium, ac baptismus, quò à peccato originali mundatur, & viam salutis ingreditur. Ergo teneris baptismum illi concedere, si facile possis. Quod si difficultates, & inconuenientia adsint, quæ te ab obligatione excimant, eo ipso videntur te adstringere, ne possis baptismum concedere, quia ea inconuenientia, quæ te à supradicta obligatione excimant, præponderare debent utilitati, quæ ex baptismò nasci poterat. Quo posito nequis baptismum conferre, quia nequis vnus bono cum graui alterius, & fortè reipublicæ iactura consulere. Ergo potestas ministrandi baptismum semper cum obligatione illius coniungitur, & cessante obligatione cessat potestas.

20. Nihilominus probabilius sensu sapè te posse ministrare baptismum filis infidelium, non tamen ad id teneri. Potes namque ministrare baptismum paruulo indigenti, non tamen teneris, si ob eam causam graue periculum vitæ, honoris, imò & fortunæ tibi imminet. Deinde sapè inconuenientia, quæ ex collato baptismò timentur incerta sunt, & dubia, ob quorum incertitudinem tua opinio esse potest, an præponderet utilitati, quæ ex baptismò prouenit, in quo casu & baptismum concedere, & ab illo abstinere potes. Præterea consuetudine introductum est sapè paruulos Sarracenorum, imò hæreticorum captiuos vendi, & restitui parentibus nullo collato baptismò, ne ab ipsis Catholicorum filij captiuè detineantur cum graui apostasiæ periculo, & tamen eo casu baptismus conferri poterat supradictis Sarracenorum, & hæreticorum. filiis. Non igitur quoties tibi licet baptismum infantibus prædictis concedere, ad id obligaris, & ita sustinet Suar. disp. 25. sect. 6. per totum. Ægid. de Coninch. q. 68. art. 10. dub. unico in fine. n. 88. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. c. 6. g. 5. concl. 2. in fine. n. 10. Henriq. lib. 2. cap. 25. num. 8. & Bonac. disp. 2. q. 2. p. 6. n. 14.

P V N C T V M VII.

Quæ dispositio in suscipiente baptismum requiratur.

1. Si Baptizandus est paruulus, nulla dispositio est ex parte ipsius requisita.
2. In adultis requiritur intentio, seu voluntas suscipiendi baptismum. Et qualis esse debeat.
3. Requiritur præterea fides, seu Trinitatis, & incarnationis notitia. Itemque diuinorum preceptorum.
4. Denique requiritur contritio, seu attritio de peccatis commissis.

1. **B**aptismus ministrari potest cum paruulis, tum adultis vltimæ rationis habentibus. Si de paruulis loquamur constat nulla ex parte ipsorum dispositionem prærequiri, ut valide, & licitè baptismus ministratur. Nam Christus, & Ecclesiæ eorum voluntatem & intentionem supplere. Sicuti late docet D. Thom. ab omnibus receptus. q. 68. art. 12.

2. At si adultis baptismus conferatur, triplicem in illis dispositionem expostulat, ut valide, & licitè conferatur, nempe intentionem saltem habitualemente suscipiendi baptismum, fidem vnus Dei, & Trini, & contritionem, seu attritionem de peccatis commissis. Expendamus singula. Primò requiritur intentio, seu voluntas baptismum suscipiendi, ut valide conferatur. Non enim expediebat Christum inuoluntarios milites habere, suisque præceptis reuolentes obstringere. Hæc tamen voluntas, seu intentio necessario præsens actualiter esse non debet, sed satis est fuisse, neque esse retrahatam: colligitur ex consuetudine Ecclesiæ ab Innocentio. III. in cap. maiores de baptismò declarata. Neque obstat hanc voluntatem insufficientem esse pro baptismi administratione, quia minor voluntas ad recipiendum baptismum, quam